



bet regressum, seu uti Leges dicunt, quo mandati ipsi competit actio q): denegant autem fideiussori exceptionem debitori principali competentem, si mandati non habet regressum r). Fideiussori quoque succurritur, si tota obligatio iure civili est repro-
bata s).

§. VIII.

Argumenti prosecutio.

Ex iam dictis sequitur argumentum pro nostra sententia, quod sequenti comprehendo syllogismo: Quoties fideiussor condemnatus contra eum, pro quo fideiussit, habet regressum toties ipsi quoque compe-
tit

q) L. 9. §. 3. ff. de Scto Macedoniano. ibi: *verum fideiussori quoque et mandatori eius: quia et ipsi mandati habent regressum.*

r) L. 25. ff. de fideiussoribus. ibi: *si quis pro pupillo sine tutoris autoritate obligato, prodigove vel furioso fideiussorit magis esse, ut ei non subveniatur: quoniam his mandati actio non competit.*

s) per L. 16. §. 1. ff. ad Sctum Velleian. ibi Iulianus sic: *si ab ea muliere, quae contra Sctum intercessisset fideiussorem accepissem: Gaius Cassius respondit: ita demum fideiussori exceptionem dandam, si a muliere rogatus fuisset: Iulianus autem recte putat, fideiussori exceptionem dandam etiamsi mandati actionem adversus mulierem non habeat, quia totam obligationem Senatus improbat, et a praetore restituitur prior debitor creditori. Conf. L. 46, ff. de fideiussor.*